



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 31. Henricus Luxemburgius Romanorum Rex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Murmurantes sub hæc verba Proce-  
 res Nobilesque cæteri negabant se vel-  
 le ab Ecclesia Romana vel hujus nomi-  
 ne a Legato Regem accipere. Volu-  
 mus vero, addebant, ut, quem pro ve-  
 teri regni more accitum assumpserimus  
 in Regem, illa confirmet; & in posterum  
 legitimi Papæ habeant jus confirman-  
 di coronandique Reges Hungariæ re-  
 gia e stirpe ortos, quos concorditer ele-  
 gerimus. Tum Legatus consensu roga-  
 tuque cunctorum Præfulum ac Optima-  
 tium verum Hungariæ Regem decla-  
 ravit Carolum ab ejus Regibus oriun-  
 dum per Mariam Siciliae Reginam Regis  
 Stephani filiam; confirmavitque illum  
 & agnovit Ecclesiæ Romanæ nomine.  
 Igitur præsentis omnes, tam qui obsti-  
 terant Carolo, quam qui adhæserant, eum  
 accipiebant Regem, atque post juratam  
 fidem subjectis manibus sustollebant:  
 dein cantabant Hymnum Ambrosii.  
 Hæc sunt, quæ continent tabulæ au-  
 thenticæ confectæ 26 Nov. 1308.

Sæcul. XIV.  
 A. C. 1308.

§. XXXI.

*Henricus Luxemburgius Romanorum  
 Rex.*

Postero die Mercurii ante festum S. An-  
 dreæ Francofordiæ conventum age-  
 rant

Baluz. to. 2.  
 p. 267.

T t 5 bant



Sæcul. XIV. A.C. 1208. bant Imperii Electores numero sex, ni-  
 mirum tres Archiepiscopi, Petrus Mo-  
 guntinus, Balduinus Trevirensis, ac Hen-  
 ricus Coloniensis, Rudolphus Bavarie,  
 Rudolphus Saxonie Duces, & Walde-  
 marus Marchio Brandenburgus tam  
 pro se, quam pro Marchione Ottone co-  
 gnato suo. Primum Archiepiscopus Tre-  
 virensis scriptam contestationem lege-  
 bat, cunctorum nomine denuncians pro-  
 scriptis interdictisque omnibus, & aliis  
 jus presentie non habentibus esse ab-  
 eundum; atque, si quem talem adfuisse  
 constaret, ejus presentiam electioni haud  
 obfuturam. Deliberatione inita una o-  
 mnes voce cooptabant Comitem Lu-  
 xemburgium Henricum tanquam Prin-  
 cipem catholicum, ardentem studio tuen-  
 di fidem, Ecclesiamque ac ministros ejus,  
 & reliquis virtutibus congruis ornatum.  
 Tum Dux Bavarie, qui simul erat Co-  
 mes Palatinus ad Rhenum, nomine o-  
 mnium dicebat: Eligo Henricum Co-  
 mitem Luxemburgium in Romanorum  
 Regem, futurum Imperatorem, defen-  
 sorem Romanæ ac universalis Eccle-  
 siæ, atque tutorem viduarum pupillo-  
 runique. Canebatur *Te Deum*: Comes  
 Luxemburgius, qui erat presentis, con-  
 sentiebat: dein de solito talis conventus  
 loco ducebatur in templum fratrum Præ-  
 dica.



dicatorum, ubi electio Clero ac populo so-  
lenniter promulgabatur. Sæcul. XIV.  
A. C. 1308.

Hæc continet decretum electionis. *Trithem.*  
Sed aliunde liquet rem potissimum pro- *Chr. Hirs.*  
movisse Archiepiscopos Moguntinum Co- *an. 1308.*  
mitis amicum, ac Trevirensis ejus fra- *Jo. Villani*  
trem. Scriptor coævus addit, Regem *l. 8. c. 101.*  
Philippum Pulchrum voluisse operam  
dare, ut cooptaretur frater suus Caro-  
lus Valesius, ac Imperium rediret ad Gal-  
los, quorum fuisset Caroli Magni tempo-  
re; Regem cupisse sibi Papam adjuto-  
rem in hoc conatu; sed hunc de propo-  
sito ejus edoctum Electoribus clam in-  
stitisse, ut ipsum prævenirent; & hoc  
eos fecisse metu cadendi sub ditionem  
Gallorum. Henricus inter Imperatores  
hoc nomine Septimus coronatus est A-  
quisgrani per manus Archiepiscopi Colo-  
niensis die festo Epiphaniæ 6 Jan. 1309.

§. XXXII.

*S. Bertrandus Convenensis.*

Hoc ad festum usque Papa Clemens  
Tolosæ manserat. Deinde Conve-  
nas, ubi Episcopum egerat, delatus cor-  
pus S. Bertrandi antecessoris sui, cujus  
gerebat nomen, transtulit. Sanctus hic *Baluz. to. I.*  
Præsul vivebat ducentos abhinc annos, *p. 69.*  
ortus ex Comitibus Insulæ Jordani. *Catel. Lang.*  
Sub annum 1076 factus Episcopus Con- *p. 906.*  
venarum